

nihil, ergo existentia postulat existentiam; habere enim existentiam est poni extra causas & extra nihil, at hoc ipsa habet existentia, ergo danda erit existentia existentia, & sic in infinitum.

Tertia. *Tertia.* Frustra ponitur distinctio realis inter essentiam & existentiam, cum sufficiat formalis; omnia enim saluantur per distinctionem formalem inter utramque. Quæ afferri solent ad introducendam distinctionem realem, ut pote quod essentia sit participatum, existentia participans, quod essentia sit recipiens, existentia receptum, huiusmodi sufficienter saluantur per distinctionem formalem; sufficit enim distinctio formalis inter participatum & participans, inter receptum & recipiens.

Quarta. *Quarta.* Si distinguerentur realiter, existentia aut erit substantia aut accidens; non accidens; cum enim existentia sit actualitas rei, accidens esset actualitas substantia, quod repugnat: neque est substantia distincta; alioquin essent tres substantia in quouis composito, scilicet, materia, forma, & existentia, ergo dicendum est existentiam non distingui realiter ab illis, sed tantum formaliter.

Quinta. *Quinta.* Quæ non differunt realiter nec solâ ratione, illa differunt formaliter: sed existentia non differt ab essentia realiter, ut patet ex dictis in superioribus rationibus, neque solâ ratione, alioquin non plus differret essentia creata ab existentia creata, quam essentia & existentia in Diuinis; ergo formalis distinctio debet admitti inter existentiam & essentiam in creatis.

Sexta. *Sexta.* Quæstio quid res sit distinguitur formaliter à quæstione an res sit, sed quæstio quid res sit importat essentiam; & quæstio an res sit existentiam, ergo essentia & existentia distinguntur formaliter inter se.

Septima. *Septima.* Nisi essentia distinguitur formaliter ab existentia, res quælibet habebit ex sua essentia quod actu existat; at hoc tantum conuenit Deo, cuius essentia & existentia sunt vnum quid.

Octaua. *Octaua.* Si distinguerentur realiter, posset produci essentia sine existentia, & viceuersa: sed hoc non, ergo neque prius.

Nona. *Nona.* Res in potentia distinguitur formaliter à seipsa in actu: sed essentia est in potentia ad existentiam, ergo distinguitur ab ea formaliter.

Decima. *Decima.* Nisi essentia distingueretur formaliter ab existentia, eadem esset definitio hominis & hominis existentis; sed hoc non, ergo neque prius.

Undecima. *Undecima.* Quæ eadem generatione generantur, non distinguntur realiter: sed essentia & existentia eadem generatione generantur, ergo &c.

Duodecima. *Duodecima.* Effectus formalis non differt realiter à causa formali: sed existentia est effectus formalis essentia, ergo non distinguitur realiter ab ea, sed tantum formaliter; quia causa formalis non est effectus formalis, nec effectus

formalis est causa formalis, ergo distinguntur formaliter.

Decima tertia. *Decima tertia.* Quæ non possunt separari secundum esse, non possunt separari realiter: sed essentia & existentia non possunt separari secundum esse, ergo &c. Maior patet; minor probatur; implicat quod essentia sit actualiter, & tamen existentia non sit. Confirm. essentia actualis est aliquid, sed quod est aliquid, est existens, ergo implicat essentiam actualem esse sine existentia.

Decima quarta. *Decima quarta.* Quæ habent diuersas rationes formales, illa distinguntur formaliter: sed essentia & existentia non diuersas rationes formales, diuersasq; definitiones, ergo distinguntur formaliter.

Decima quinta. *Decima quinta.* Nulla res potest distingui secundum rem à naturis transcendentibus; transcendentia enim sunt inclusa in conceptu vltimo & essentiali rerum omnium: sed existentia est transcendens, cum de omnibus efferatur, ergo non distinguitur realiter ab essentia. Confirm. in vero, bono, & vno, quæ ex eo quod sint transcendentia, non distinguntur realiter ab eis, quorum sunt transcendentia, sed solim ex natura rei, ergo idem dicendum erit de essentia & existentia.

CLYPEVS TERTIVS.

Rationes pro distinctione rationis ratiocinatæ, & quibusdam alijs opinionibus.

Prima. Illa differunt ratione saltem ratiocinatâ, quæ diuersis concipiuntur conceptibus; sed de Rosa habeo alium conceptum ab eo, quo eam concipio in rerum natura existente, ergo &c.

Secunda. Quæ se sic habent vt vnum sit per modum quiescentis, & alterum per modum fluxus, illa saltem distinguntur ratione: sed ita se habent essentia & existentia, nam essentia se habet per modum quiescentis seu orientis; existentia verò per modum fluxus & operationis, ergo &c. Confirmatur, quia essentia abstrahit ab omni tempore, ergo se habet per modum stantis & quiescentis.

Quod autem distinguntur essentia & existentia penes diuersos respectus ad causam, probatur

Primo. Quod res habeat existentiam est quod sit posita in rerum natura; ponitur verò in rerum natura per agens, ergo quod sit in rerum natura seu quod habeat existentiam, hoc habet per respectum ad agens.

Secundo. Existere est poni extra causam agentem, ergo existentia importat respectum ad causam agentem.

Tertio. Sicut se habet esse essentia, ita & esse existentia: sed ideo res dicitur habere esse

Decima tertia.

Decima quarta.

Decima quinta.

Num. 9.
Ponuntur fundamenta pro quibusdam alijs opinionibus quod distinctio rationis ratiocinatæ.
Prima.
Secundo.

Quod distinctio penes diuersos respectus ad causam.
Primo.

Secundo.

Tertio.